

Dissertatio medica inauguralis de phlegmone ... / [Colin Campbell].

Contributors

Campbell, Colin, 1752-1794.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour, Auld, et Smellie, 1771.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mj7ckmvs>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

61920/1 Socii
Et dono Joann. Crichton 1791

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

PHLEGMONE, *S*

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

CALENUS CAMPBELL.

BRITANNUS.

Ad diem 12 Junii, hora locoque solitis.

Quod potes, id tenta : Nam littus carpere remis

Tutius est multo, quam velis tendere in altum. CATO.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,

Academiae Typographos,

M, DCC, LXXI.



ca

316829

Principi Illustrissimo, Nobilissimo, et Potentissimo,

JOHANNI CAMPBELL,

DU CI DE ARGATHELIA,

MARCHIONIQUE DE LORN,

Primariae Legionis praefecto,

Atque Regis exercituum apud Scotos Imperatori,

Qui praeclaras Atavorum res gestas,

Suis quoque Virtutibus,

Quam plurimum exornat,

Haece Studiorum primitias,

Summa qua par est Observantia,

D. D. C. Q.

Calenus Campbell

CALENUS CAMPBELL,

Calenus Campbell

Calenus Campbell

Calenus Campbell

1781
TOHANNI CAMPBELL
DUCI DE ARCATHELIA
MARCONI DE LORRAINE
D. Mason Preceptoris suo
optimo, hoc in medicina
tentamen, quasi animi
grati indicium parvulum
cum toto pleneque am-
mo obsequentissime

offert
Discipulus suus

Auctor

C A L E N O C A M P B E L L,

D E E D E R L I N O,

A R M I G E R O,

Patri suo optimo ;

Etiamque,

G U L I E L M O C H A L M E R S,

D E D A L R Y,

A R M I G E R O,

Chirurgo Edinensi peritissimo ;

*Illi qui, instar Parentis optimi, me liberaliter summa-
que cum Pietate, ab incunabulis huc usque aluit.*

*Huic, ob praestantissima multaue ejus praecepta,
quibus me, studiis Medicinae aliquot annis incumben-
tem, sub illius tutela adeo benigne ditavit.*

Gratias quam plurimas ex toto animo agit

Hujus tentaminis

A U C T O R,

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

LABORATORY

CHICAGO, ILL.

REPORT OF THE PHYSICS DEPARTMENT

FOR THE YEAR 1910

BY THE DEPARTMENT

CHICAGO, ILL.

Published by the University of Chicago Press

Chicago, Ill., 1911

Price, \$1.00

Copyright, 1911, by the University of Chicago

PRINTED IN GREAT BRITAIN

1911

DISSERTATIO MEDICA

DE

P H L E G M O N E.

I N T R O D U C T I O.

IN tractatu sequenti, de Inflammationis natura et effectibus, pauca, ab experimentis simplicibus naturaliter secutura, in lucem proferre statui.

DE quovis systematicorum principio, praesertim maxime stabilito, audacius, et aleae dubiae, dubitare, primo intuitu videatur.

A

SED

SED damna quae ex tali opinione necessario sequuntur, cuivis rite consideranti, absque multo ratiocinio, facillime patefcunt. Quippe igitur dolendum est, studiosos medicinae atque philosophiae, per multa secula praeterlapsa, in verba et dogmata praeceptorum, nulla artium aut scientiarum investigatione facta, quam temere conjurasse.

SED haec Galeni et Aristotelis discipulis referenda velim, qui omnia nova, vel suis dogmatibus contraria, quasi inutilia atque damnosa judicarunt, adeoque medicinam et philosophiam sibi gentilia propriaque usurpaverunt.

PRAESENTI autem seculo, liberalium artium studio et ardore per universas gentes dominantibus, hae sententiae, tam arctae, despiciendae, vel prorsus in desuetudinem redigendae, existimari debent. Medicorum est igitur, de omni dogmate in lucem prolato, priusquam iis clarescant,

cant, dubitare; et, qui aliter fecerunt, nomine et honore medicorum indigni existimandi sunt. Doctrina itaque publice atque generaliter impugnata, propriisque viribus et candore stabilita, summam fidem famamque procul dubio adipiscitur. Quocirca, si aliquid novi de inflammationis causa in lucem proferam, vel, si quodammodo de re summi in medicina momenti dubitare videar, me a culpa liberatum sperare liceat; quae res, quocumque modo perficiatur, tamen magnopere laudanda est. Theoriam profecto novam stabilire neutiquam aggredior. tali quippe proposito impar; rem tam difficilem, viris ingenii praestantioris absolvendam, relinquere vellem. Doctrina haec equidem, quantumvis primo intuitu, iisque qui opinionem contrariam adoptarunt, in paucis phaenomenis. dubia, manca, vel incerta videatur, tamen nequaquam rejicienda. Tales enim objectiones, quando res candide et modo debito investigatur, splendore veritatis ut plurimum evanescere

fcere folent ; praefertim inter medicos, in verba alterius neutiquam addictos jurare ; aut quorum vitae integritas, cultusque morum elegantior, aliquid tale permittere nequaquam finunt. Hifce igitur, quos fummo honore ex toto animo amplector, fequentes fchedulas perfcrutandas trado.

ARGUMENTI DIVISIO.

SED ad propositum redeamus. Thema nunc pertractandum in propria capita dividere, et de fingulis fuo ordine pauca differere, mihi neceffarium videatur, femper classium diverfarum ratione habita, ut ordine debito, et argumentandi modo, rite atque legitime inter fe connectantur.

Imo, METHODUS est igitur optima, et
 quae

quae mihi magis arridet, a definitione hujus operis exordium fumere.

2do, DOCTRINAM vel aliter Causam Proximam Inflammationis, quae mihi magis probabilis videtur, hic loci tradere conabor ; atque hoc modo, diversitates, quae in omni inflammatione contingere soleant, pro viribus explicare aggrediar.

3tio, CAUSAE praedisponentes, operandi modus, Phaenomena, et Symptomatum ratio, pertractanda sunt.

4to, DIVERSI modi, in quibus inflammatio plerumque terminatur, et pauca de Medendi Methodo proferenda sunt.

I. DEFINITIO.

INFLAMMATIO est igitur, partis rubor, calor, et plerumque dolor.

Do-

DOLOREM enim non semper comitem, aut inflammationis symptomata diagnosticum, esse experimentis anatomicis celeberrimi Doctoris Monro dilucide apparet; descissis quippe nervis ranae posteriori cruri inservientibus, ut, nec punctura, combustione, vel laceratione, ulla doloris signa in animali excitari visa sint; deinde, salem volatilem alkalinum, in aqua solutum, parti applicavit; adeoque omnia inflammationis signa excitari viderentur; qua vero solutione paulo fortiore reddita, mors partis confestim secuta est. Quod ratiocinium humanae equidem oeconomiae, per analogiam, rite transferre possumus. Quanquam raro eveniat, omnes nervos, cuivis parti inservientes, descissos esse; tamen, experimentis hisce, partes, ut in paralyfi, sensu motuque privari, saepenumero comperitum habemus: Et, si paralyfin, modum in majorem adauctam, putemus, hujus experimenti veritatem perfectissima analogia stabilire videtur. Praeterea, Illustris-
 fimus

simus idem Praeceptor, post nervos descissos, circuitum partibus adhuc inesse, similibus experimentis comprobavit; et, quod majus est, *Ophthalmiae*, a practicis, quotidiana experientia, sine dolore evenire observantur.

DEFINITIONE jam peracta, proximam hujus doctrinae partem, quoad potero, explicare aggrediar.

II. CAUSA PROXIMA.

INTER hodiernos igitur, inflammationis causam proximam, a sanguine vel aëre effuso, lentore, aut visciditate, oriundam, satis refutatam comperimus: Multo itaque probabilius est, hujus phaenomeni causam, seu a motu sanguinis et humorum, in systemate toto adaucto, vel vasis in partibus quibusdam nimium excitatis,

citatis, suam originem ut plurimum ducere.

SI igitur inflammationem ab vasorum motu nimis incitato, sanitatem, ab actione eorundem moderata, sphacelumque, actione omnimodo sublata, nasci consideremus; motus proinde sanus, inter inflammationem et sphacelum, quasi inter duo extrema medium, procul dubio eveniret: Sed ordo talis rerum, experientiam quotidianam, sensusque nostros, oppugnare videtur; quippe sanitatem, inflammationem, partisque mortem, sese invicem excipientia, progressionem continua indes videamus. Igitur, cuivis libere, vel sine opinione praeconcepata cogitanti, clarissime pateat. Tria haec stadia gradu solummodo discrepant: Pars nempe sana propria sua potestate fruitur, quae, in inflammata, minuta est; sed, in sphacelum protracta, penitus ad postremum amissa est. Hoc argumentum ratiocinio postea tradendo, magis magisque

que confirmare conabor, et distinctiones necessarias inter determinationem topicam, diathesin phlogisticam, et inflammationem, stabilire aggrediar. Physiologi, nulla distinctionis hujus ratione habita, in errores ut plurimum inciderunt; namque distinctio ipsa clara est, quantumvis notae haud adeo elucescant.

Topica igitur determinatio, copiae sanguinis majori, per impetum in parte aliqua adauctae, circuitu in casu tali haud libere perfecto, strictura vasorum quorundam spasmodica, partis alicujus in corpore longe sitae, aborta, originem suam procul dubio debet; in tali quippe casu, tunicis arteriarum jam integris, ab inflammatione distinguitur, et vicissim, in statu inflammatorio, strictura spasmodica, nullo modo existente, vasa arteriosa, sanguinis impetu solo debilitari, atque ut plurimum distendi queant.

VENOSA quoque congesta, huic capiti referenda sunt.

Diatnesis phlogistica est vasorum vis aucta, et plerumque a stimulis oriunda, adeoque sine sanguinis in parte quavis, copia majori, fieri procul dubio potest. Nam in systemate humano arteriarum, in una, contractio, in parte earum altera contractioni, reciproce proportionalis certissime fieri solet; et, quod adhuc magis est, diathesis phlogistica haud quaquam generaliter inducitur; adeoque vasa omnia, nisi praesistente plethora, neutiquam distendi possent; quapropter, ab inflammatione, et determinatione topica, discrepare admodum dilucide videatur.

IN systemate universo, *determinationes topicae*, languorem; diathesis vero phlogistica, vigorem totius adauctum, sua natura certissime inducit; uti, in determinatione topica, ardore atque rubore pars laesa ut plurimum suffunditur; ita in diathesi phlogistica dolore pulsatorio stipare saepe numero soleat. Tres hae conditiones saepe unire reperiantur, atque, diathe-

diathesi phlogistica existente, determinatio topica, et inflammatio, procul dubio evadant, et similiter, determinationi topicae inflammatio supervenire posset; atque quidem istiusmodi determinatio, una cum diathesi phlogistica, validae inflammationis causae praedisponentes fiant.

DISTINCTIO inter diathesin phlogisticam et inflammationem, quantumvis momenti parvi a compluribus existimetur; haudquaquam tamen nova est; et cuivis rite consideranti phaenomena, doctrinae hujus veritas clarissime pateat: Symptomata, utcunque communia habent, eadem in hysteria et hypochondriasi, ubi phaenomena ferme similia a fibris vel nimis laxis vel tensis oriuntur, sine dubio evenire solent. Ut igitur huic doctrinae finem, quam legitime, more proposito, faciam, quatuor motuum species, quibus arteriarum systema affici soleat, quam brevissime memorabo.

Imo,

1mo, STATUM aucti motus, seu diathesin phlogisticam.

2do, ACTIONEM moderatam, vel fanitatis aut determinationis topicae statum.

3tio, ACTIONEM diminutam, seu inflammationem.

4to, ABOLITUM omnimodo motum, sive gangreanam et mortem.

STADIA igitur, in quibus diversae hae affectiones occurrant, sic ostendere conatus sum; sed singularum, solam quasi causam, haudquaquam assero; at jam ad propositum magis immediate redeundum est. Inflammatio igitur, tono debiliori, et sequenti exinde arteriarum alicujus partis distensionem, suam originem debet; in tali quippe casu, loci unius arteriae cordi atque reliquo systemati arterio-

arterioso impares, effectus istiusmodi necessario sequitur.

HÆC opinio, neque nova, nec mihi propria; nam Halleri est, cujus verba statim tradenda sunt: “ Possent tumor
 “ fieri, ut laxata vasa minora, absque
 “ impetus augmento, sanguinem in vita
 “ languida recipiant*.”

HÆC equidem doctrina solummodo, quod de diversis ophthalmiae speciebus, vel sub finem inflammationis, in plerisque casibus pro vero admitti solebat, magis generaliter reddit.

IN hujus theoriae confirmationem, ut quidquid inflammationem producere valeat, ab eodem, modum in majorem, aucto, mors partis oriri queat.

SPHACELO [inflammationi superveni-

* Haller. element. phys. tom 1. p. 113.

ente, collapsum, priore stimulo, seu motui violentiori proportionatum, a theoreticis contigisse, observatum fuit; sed ut tale irritamentum, effectui sedativo, causae efficientis solummodo proportionale fiat; quare igitur, causa nulla stimulante progressa, vis illa deprimens gangraenam subito haud inducere valeat; et similiter quoad inflammationem hic loci ratiocinari liceat.

EXPERIMENTIS celeberrimi Monro nuper institutis, ranae cruri solutio tenuis alkali volatilis applicata, brevi post ingens inflammatio, atque, solutione fortiore reddita, partis mors statim subsequuta est: Cum ecchimosi saepenumero gangraenae comes fiat, quousque inflammatio iisdem antea soleat, durum et difficile iudicatu videatur; annon experimento facili intellectu, vasorum tunicas debiliores, materia acri reditas, adeoque cordis resistere viribus impares, ideoque magis magisque distendi,

et

et accredine majorem in modum adaucta, omnia in pejora ruere, sphacelumque breviter instare, saepius demonstratum est?

DOCTOR FORDYCE, tales utpote cum dolore stipatos effectus, tamque a relaxatione haud orituros, redarguens, suis suffragiis hanc opinionem confirmare conatus est. Ob relaxationem prius natam, vasa distendi neutiquam opinor, sed distensionem solummodo oriundam, a vasorum tunicis adeo labefactatis, ut sanguinis motui haud amplius resistere valeat, merito affirmare licebit; adeoque, pars laesa, symptomatibus distensionis atque debilitatis jam adauctis, sensibilior evadit.

JAM ad praedisponentes causasque occasionales, phaenomena, rationemque symptomatum, quam brevissime pertractanda, nos accingamus; unumquodque quorum nostram theoriam magis magisque illustrare videtur; dum adhuc, mul-

ta difficiliter, si omnino, opinionibus vulgo receptis, applicabilia evadant.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

INTER causas praedisponentes, nihil momenti magni occurrit; sunt enim praecipue habitus vegetus, plethoricus, systema rigidum, tempestas rigida, ingens irritabilitas, &c.

CAUSÆ OCCASIONALES.

CAUSAE igitur occasionales sunt vel calor, vel frigus ingens, stimuli mechanici, medicamenta acria et sedantia; sed multum dubito, si, a solo tonicorum usu, vera inflammatio induci queat: Haec igitur opinio, ab inflammatione, pro diathesi phlogistica assumpta, oriri videtur; neque omnimodo negandum fit, quin tonica, sanguinis circuitu augendo, causae praedisponentes inflammationis evadant, quandoquidem operandi modus, quo
causae

causae occasionales ad nostram theoriam illustrandam magnopere conducant; ejus equidem rationes, cum frigoris effectibus, demonstrare volumus: Hoc igitur levio-
 re, vel minus diu continuato, natura stimu-
 lanti praedito, diathesis phlogistica, vel
 motus nimius vasorum, ut fit in febri-
 bus inflammatoriis, sine dubio nascatur;
 sed frigus, majorem in modum adau-
 ctum, vi sedativa praeditum est, atque in-
 flammationi, ut in *pernionibus* et *parony-
 chiis*, originem praebere solet.

MEDIUS hic status interpositus, quasi
 a nobis desiderandus, sanitatis est; ideo-
 que, primo intuitu, levem admodum eru-
 bescentiam percipimus; deinde color na-
 turalis parti restituitur; sed frigus diu
 continuatum inflammationem gignit,
 auctumque supra modum gangraenam in-
 ducit; caloris aliarumque causarum oc-
 casionalium actio modo simili explicari
 debeat.

GRADUS igitur frigoris leviusculus, aut causerum vis occasionalium quas supra memoravimus, propriis suis stimulis, diathesin phlogisticam suscitare possit; indeque valida causa praedisponens evadat. Quaesitum est igitur, quamobrem frigus, quantumvis ad gradum sedativum haud profectum, atque corporis externae superficiei admotum, inflammationes internas, e. g. anginam, coryzam, et peripneumoniam, inducere queat?

Imo, A frigore leviusculo diathesis phlogistica nasci possit; adeoque systema humanum, ad latentem stimulum excitandum, aptius evadit.

2do, Nullo in corpore humano stimulo praesistente, istiusmodi effectus, a perspiratione cohibita, generari queunt.

3tio, Idem aer frigidus, qui externe vim stimulantem solummodo exseruit; tamen interne applicatus, potestate sedativa gaudere possit.

STIMULI mechanici, vasis debilitandis, vires suas continuo exerunt; et in compluribus, cataplasmata, unguenta, aut emplastra externe applicata, inflammationem suscitare poterunt; idemque effectus, a vi relaxanti, nulla quippe ranciditate vel acrimonia tunc temporis existente, solummodo pendit debet.

PHAE NOMENA.

INFLAMMATIONIS igitur phaenomena sunt, *rubor, calor, tensio, tumor* saepe dolens, atque sensibilitas adaucta, febris, pulsus plenus atque durus, sanguis missus, et jam concretus, superficiem coriaceam albam ostendens, et id genus alia, notae comitesque diathesis phlogisticae inseparabiles fieri soleant.

RATIO

RATIO SYMPTOMATUM.

QUIDQUID de rubedine dicendum sit, hic, una cum errore loci, breviter enarrabo. Haec igitur, secundum opinionem magis receptam, a cruore in vasa minima impacto, vi vitae magis adaucta, procul dubio fieri solent. Nonne ratio simplicior de hac re reddi possit? nempe, copia majori sanguinis rubri, per vasa majora et sibi propria transeuntis, sed etiam per vasa minima et aliena, suosque diametros praeternaturaliter capaciores habentia, atque hoc modo errores loci fiant. Errorem loci a vasorum distensione oriturum, vasis quippe corneae, in statu inflammatorio, injectionem haud difficiliter recipientibus, satis compertum habemus; sed, in statu sano, liquores, vasa istiusmodi nulla arte pervadere solent; ab vasorum incremento hoc phaenomenon oriri, haud semper existimemus, sed omnimodo fieri, valde dubitare liceat. Fingamus igitur novum vasorum incrementum

in cornea perpetuo oriundum, caeteris oculi tunicis aliquid tale nunquam applicare potuerimus. Quamvis hae etiam inflammationi aequae obnoxiae sunt, ubi vasorum incrementum novum neutiquam accidere suspiciebatur.

Calor. Cum igitur caloris animalis causae admodum obscurae sint, haud facile dictu, quomodo calor adauctus in statu inflammatorio produci queat. Si a frictione nasci ponamus, arteriarum tunicae, jam tenfiores redditae, majorem sanguinis impetum solidis sibi vicinis facillime communicare possunt; hinc major attritus necessario fiat, copiaque sanguinis in parte aucta materiam huic scopo conducere valeat.

Dolor irritans atque pungens, a tunicis arteriosis, atque partibus vicinis, magno-pere distentis, haud dubio contingere solet. Dolor undulans, seu pulsatorius, ab arteriis

teriis distentis originem habet; hinc singulis pulsationibus dolor magis augetur.

Tumor atque *tensio* nonnunquam a sanguinis majori in partem fluxione, quantumvis generaliter ab effusione, pendere solent.

Aucta partis inflammatae *sensibilitas* a tensione atque debilitate suam originem trahere videtur; et ab hisce quidem, gradu majori, partis sensibilitas manifeste semper adaugetur.

CUM jam causae febriles non admodum dilucide appareant, quamobrem inflammationis concomites evadant, vix rationem reddere queam; unam igitur cogitationem solummodo suggeram. Irritamentum omne, pro gradu applicandi, vel stimulant aut sedativum tantum fieri possit. Similiterque omne sedativum notissimum stimulante virtute procul dubio gaudere valeat; nonnulla quidem medicamentorum gradum acrimoniae majorem priusquam effectus

effectus producant sedativos, excitare possunt, dum alia, vi sedativa, minimis quidem dosibus exhibita, fruuntur; horum tamen omnia, vi propria atque natura sua virtutes utrasque ostendunt. Stimulus, uni corporis parti jam applicatus, virtutes ibi sedativas exserere possit; sed gradu minori, toti systemati vicem stimulantis solummodo supplere valeat; hinc diathesis phlogistica et inflammatio a causa eadem nascantur; prior quippe, stimulo nimis leni, ad inflammationem suscitandam, originem suam debet.

4to, TERMINATIONES et Methodum Medendi nunc, ut caput ultimum, tractare restat.

INFLAMMATIO in resolutionem, suppurationem gangraenam, vel schirrum, terminatur; quibus adhaesionem quoque adjungam. Nervi, quantumvis nullo modo vel ad excitandam vel sustentandam inflammationem per se conducunt, facile tamen

tamen intellectu, naturam, illorum inter-
ventu, vasa arteriosa, morbo jam debilia,
in proprium statum redigere, semper o-
peram dare: Natura igitur victrice, in-
flammatiō resolvitur; si contrarium eve-
nerit, debilitate urgente, mors brevi se-
quitur.

Adhaesio frequens inflammationis ef-
fectus est; quippe partes labefactatae, in
contactum mutuum adductae, ut pluri-
mum tali modo unire solent. Causam
adhaesionis proximam haud jam expli-
care conabor; attamen unum phaenome-
non, huc usque difficile demonstratum,
atingam, (nempe) methodum curandi
vulnera, intentione prima. Jampridem
hoc chirurgicorum studia meruerat; in-
que labiis vulnerum uniendis, eisque ab
aeris ingressu rite defendendis, ut pluri-
mum constare videtur. Partes hoc modo
brevi coalescunt: Omnes in hac re con-
sentiunt; ejusque veritatem praxis quo-
tidiana confirmat; sed quo modo fiat,
annon

annon a suppurationis effectu, vel a facultate propria, qua partes inflammatae, rite in contactum mutuum redactae, coalescere queant, non est hujus loci. Celebrerrimus in hac academia Professor, cujus sententiam omnimodo amplector, opinionem priorem suis suffragiis stabilire dignatus est; ad hujus sententiae veritatem confirmandam argumenta sequentia exhibet.

I. SUPPURATIONEM, quae fermentationis in lymphatica sanguinis parte species est, absque aeris ingressu accidere, ut a suppurationibus internis manifeste pateat.

II. AERIS effectus est impedire, vel puris formationem vitiare; ideoque chirurgi, magna cum cautela, ingressum ejus in ulcera, vulnera, &c. excludere conantur.

D

III.

III. Quo diutius aeri vulnus patefactum fit, eo tardius latera ejus coalescere soleant, indeque, ferius ociusve, majore vel minore copia, suppurationem semper oriri, coarguit.

TERMINATIONIBUS nunc peractis, jam de medendi methodo pauca differere conabor.

METHODUS MEDENDI.

IN inflammatione igitur rite medenda, opus optime perficitur, vim propriam vasis restituendo.

I. IMPETUM sanguinis, seu causam distendentem, minuendo.

II. TONICORUM usu,

INDICATIONI primae, venaesectio,
vel

vel generalis vel topica, ut plurimum infervire solet.

MISSIO sanguinis, generaliter exhibitata, quantitatem atque impetum humorum circumfluentium, optime imminuit. Hujus effectus, quantumvis haud tam immediate se ostendunt, tamen diutius permanere observantur; topica enim venae sectio, quae virtute derivandi gaudet, impetum sanguinis distendentem, brevi tantummodo tempore, removeere valeat. Atque hoc modo, vasa, propria vi contrahendi, priores diametros recuperare soleant; et, quamvis in statum sanum haudquaquam adhuc restituta sint, tamen diutius, absque priore distensionis gradu, remanere valeant; adeoque, hoc intervallo durante, tonus eorum in statum naturalem restitui possit; vel saltem tonicorum applicatio interim opportunior redditur.

II. TONICORUM usus paulo difficili-

or

or videtur ; quippe, si cordis actio ab iisdem, pari ratione, ac arteriarum vis acceleretur ; in tali procul dubio casu, multa mala, a majore sanguinis impetu adaucto, produci valeant. Ad hoc igitur vitium praecavendum, affectis partibus medici peritiores remedia talia, ut plurimum, applicare soleant : Hoc consilio, plumbum, lapis calaminaris, aliaque generis metallici, ut saccharum saturninum, vitriolum album, &c. similiterque vegetabilia amara et astringentia, in inflammatione curanda, locum habent. Astringentia autem, nisi in affectionibus externis, cautissime administranda sunt ; tali enim methodo, solida rigidiora fiant, virtutibus medicamentorum ad vasa ipsa haud penetrantibus ; indeque inflammatio augeri possit, cum unoquoque cordis ictu arteriae versus substantiam duriorum prementur ; atque ita, simili modo, quo tumor aneurismaticus injuriam pati possit.

ASTRIN-

ASTRINGENTIA equidem, in exter-
 nis inflammationibus, saepenumero pro-
 sunt; quippe vasis ipsis magis immedi-
 ate applicata, ut in ophthalmiis, aqua
 frigida saepe summo usui est; quamvis
 ex natura quidem stimulantia partim pen-
 deat. Cortex Peruvianus, a quibusdam
 laudatus, ab aliis damnatus, ut ego au-
 tem existumo, virtute tonica magno gra-
 du gaudeat; sed cor, eodem modo quo
 systema arteriosum, corroborat, deinde
 sanguinis impetum auget; tamen hoc
 vitium forsitan evadi possit, vel saltem
 noxae istiusmodi minui queant, sangui-
 nis copia, secundum toni incrementum,
 in arteriis comminuenda. *Aromatica*,
 virtute stimulantia utpote praedita, raro
 hic usurpantur; spiritus vini simili modo
 vires suas exferit. *Fotus, cataplasmata e-*
molientia, thermaeque, solida relaxant, adeo-
 que influxum liberiore, vis nervæ ar-
 teriis debilitatis, praebeant. Horum u-
 sus ab astringentibus valde differt; ex-
 ternis quippe partibus solummodo in-
 flam-

flammatis, ideoque vasis immediate adhibita, valde damnosa fiant; sed inflammatione profunda magis existente, incumbentium tensione removenda, et ad vasa haud penetrantia, summo emolumento aegris esse soleant.

HIS igitur, horumque modo operandi, quoad potui, quam brevissime consideratis, ratio, quare talia remedia locum inter tonicos habere debent, cuivis rite consideranti facillime patefcatur; et quamvis hic in ordinem fortasse novum redigantur, eorundem summum in inflammationibus emolumentum, praecipue in haecenus memorata specie, a praecisicis haudquaquam negari debeat.

Calor etiam instar stimuli suas vires exerit. Atque ita inter rusticos, si quis inflammatione digiti male se habeat, partisque suppurationem timeat, digitum aquae fervidae immergere, ut plurimum, effectus felices praebet. Hic enim calor
solum-

solummodo agit, quia ad laxitatis statum producendum, haud satis diu continuatur; similiterque paronychia, combusta, &c. igni applicata, melius se habent.

Epispasticorum et rubefacientium vis est, imo, Sedativum effectum in parte cui applicantur conciliando, vel inflammationem ibi suscitando; indeque sanguinis major copia ad partem, minorque ad prius inflammata, differtur. Cum hic non adeo magna sit derivatio, uti in topica sanguinis missione, sanatio non tam cito evadit; sed quasi diutius continuatur, medela semel perfecta, longius permaneat.

2do, *Epispastica*, stimulo generali systemati toti inferendo, per motum majorem adauctum, virtutes suas ut plurimum ostendunt; hinc sanguinis prius mittendi utilitas manifeste patet.

INFLAMMATIONES per metastasin fimiliter agunt.

DE gangraena, suppuratione; &c. aliquid hic dicere prorsus supervacuum foret; solummodo observare liceat, ut in gangraena, effusos humores qualitate septica imbutos esse, quibus malum saepe numero latius extenditur; itaque, ut a chirurgis nuper in praxin redactum fuit, incrementem sphacelum neutiquam amputari, non mea sententia est, saltem si a causa externa proveniat.

Corticis Peruviani usus est, partis inflammatae vasis vim majorem praebere: Quomodo hujus medicinae utilitas theoriae motus auctioris consentanea videatur? An indicatio est, novum vigorem actioni jam nimis adauclae vasorum partis inflammatae hic addere? Vel an praxis omnimodo empyrica, et operatio specifica?

ITA,

ITA, quaecumque de inflammatione dicenda habui, quoad ratio docet, atque experientia confirmat, vobismet tradere conatus sum; qua proprietate hoc opus peractum fit, vestro praestantiori judicio unice cognoscendum relinquo.

SI quid observatu dignius in hoc opere inveniri queat, laus atque honos ejusdem chirurgo-medicae societati solummodo debentur, cui tam prima hujus doctrinae principia, quam plurima alia, debeo; sed, si in errores ullo modo inciderim, culpa procul dubio mea est.

F I N I S.

